



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Quæst. II. An vel Qualiter Charitas possit Angeri, Minui & Destruï?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

cet, sic per gratiam multipliciter, in futuro per gloriam: è contra nos offeramus Deo nostra obsequia, nosque ipsos. Quod insuper sit unitas animorum, manifestum est: qui enim adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, juxta Apostolum 1. Cor. 6. Qui proinde de se ipso ad Gal. 2. ait: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod etiam spectat, quod alter alterius voluntatem faciat: prout nos Deo dicimus, Fiat voluntas tua, & è contra de Deo dicitur Psal. 144. Voluntatem timentium faciet. Quod ipsi plurima Sanctorum exempla demonstrant. Quod invenitur consiliorum seu secretorum communicatio, patet: quia debemus Deo revelare quam nostram Psal. 36. & effundere coram illo corda nostra Psal. 61. immo & præbere illi cor nostrum Proverb. 23. non quod illum quidquam lateat, sed ut amicitia munere fungamur, & ita petamus opem ab eo, qui solus juvare potest. Ipse etiam Deus secreta nobis communicat: Jam (ait Christus Joan. 15.) non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quod denique charitas præstet securitatem, patet, quia generat fiduciam de divina erga nos benevolentia, ne nimis anxie timeamus damnationem, sed ut nos Deo fiducialiter committamus.

11. Infantes gratia præditi qui sint amici Dei.

Adverte tamen, parvulos aut amentes in gratia existentes non habere omnes prædictas conditiones in actu, sed solum in habitu & velut in radice: esseque nihilominus & vocari phrasi Ecclesiasticâ amicos Dei, scilicet ratione habitus, ob quem sunt Deo accepti, tamquam amici & filii, & in actu primo potentes Deum redamare.

QUESTIO II.

An vel Qualiter Charitas possit Augeri, Minui & Destruï?

12. Charitas possit augeri.

10. Iustitiae incrementum petit Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum. Ratio Theologica est: quia charitas est à gratia justificante (quæ augeri potest) indistincta, aut certè eam cum quadam æquabili proportione indivulsè concommitatur, ut sicut simul sunt in infusione & destructione, sic & in augmento: in ejusque infusione & augmento saltem ex parte consistit justificatio & ejusdem incrementum. Vide dicta Tract. de Grat. d. 4. q. 5.

Physicè à Deo, meritorie & instrumentaliter unde.

Augetur verò charitas, uti primò infunditur, physicè quidem à solo Deo, meritorie autem per actus meritorios, etiam habitu præexistente remissiores, ut loco citato

ostendimus. Instrumentaliter denique per Sacramenta, quæ ex opere operato vel primam gratiam conferunt, vel augmentum illius (ut ex dictis in materia de Sacramentis liquet) & consequenter charitatis.

Constitit porro hoc augmentum juxta omnes Doctores in intentione majori habitus charitatis; quæ juxta sententiam in Philosophia communior fit per additionem gradus ad gradum homogeneum. Præter quod non datur aliud augmentum extensivum: eò quod minima charitas extendat se ad omnia quæ sunt ex charitate diligenda, utpote in quibus omnibus est eadem ratio diligendi. Quemadmodum eadem fides habitualis extendit se ad omnia sub eodem motivo credenda. Unde habitus infusus mox constituit hominem proportionatum toti latitudini objecti sui, nec extenditur ejus substantia, dum plures diliguntur, sicut non augetur extensivè potentia videndi, dum plura objecta videntur.

De facto tamen in diversis differenter se extendit habitus charitatis ad actus circa hæc vel illa objecta, & ad actus inæqualiter perfectos, quantum ad intensionem aut appretiationem. Ad quod præter habitum necessaria sunt specialia auxilia Dei urgentis ad actus magis heroicos.

Estque locus huic intensivo augmento habitualis charitatis, quamdiu status viæ durat: uti eoque durat status merendi. Immo oppositus error, quod scilicet in hac vita quis possit ad tantam charitatem seu gratiam pervenire, ut amplius augeri non possit, damnatus est in Beguardis & Beguinis à Concilio Viennensi relato Clem. Ad nostrum, de Hæreticis. Unde Apostolus aded in charitate provectus de seipso ad Philip. 3. dicebat: Non quod jam perfectus sim &c. Quæ retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor &c.

Neque est periculum (quod Beguardi mentuebant) ut quis tandem perveniat ad mensuram charitatis seu perfectionis Christi, aut eam excedat: gratia enim seu charitas secundum plenitudinem in Christo fuit, sive infinita, sive tanta ut major non sit possibilis, & saltem superet omnium simul sumptorum charitatem in intensione. Dicitur verò Augustini Enchiridii c. 121. Minuitur cupiditas charitate crescente, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, quæ major esse non possit; intellige non de magnitudine intensionis, sed exhibitionis in opere, q. d. per venturam ad exhibendum seu exponendum pro amico bonum maximum quod habet, seu quo majus ab ipso exhiberi nequit, prout Joan. 15. Christus dixit: Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde Augustinus Tract. 5. in Epist. 1. Joan. ait: Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori.

13. Augmentum charitatis habitualis est intensivum, non extensivum.

14. Est locus augmento, quamdiu status viæ durat.

Occurritur objectioni.

Explicatur dictum Augustini.



An in augmento charitatis detur status, disputatur.

An autem in augmento charitatis detur status, ut nequeat in infinitum magis & magis auferri, an verò non possit dari intensio tanta, quin semper major, pendet à questione Philosophica in Physica tractari solita de infinito syncategorematico. In qua Scotus 3. d. 13. q. 2. & plures alii censent dari statum: Alii e contra non minus probabiliter contradicunt.

15. Quo sensu Charitas distinguitur in incipientem, proficientem & perfectam. Prior explicatio.

Petes, quo sensu distinguatur Charitas in Incipientem, Proficientem & Perfectam? Resp. distinctionem istam accipi secundum diversa opera seu officia, in quibus charitas principaliter exercetur. Et primo quidem id allegat Augustinus Tract. 5. in Epist. 1. Joannis explicat D. Thomas q. 24. art. 9. & alii Scholastici ut Charitas dicatur incipiens, quamdiu præcipuum hominis studium est repugnare vitij & malis cupiditatibus, quibus adhuc infestatur: Proficiens autem, quando jam principaliter incumbit in studium virtutis, ut faciat progressum: Perfecta denique, quando homo jam quietem tentationibus & pravis cupiditatibus utcumque consecutus, atque etiam facilitatem quamdam in operibus virtutum, intendit totus contemplationi & divino amori. Secundo id explicari potest, ut Incipiens dicatur, quæ infunditur in justificatione, antequam operari jam incipiat: Proficiens verò dicatur ab illo tempore, quo operari incipit usque ad finem vitæ: Perfecta autem, post hanc vitam in patria. Vide Augustinum l. de Spirit. & Litt. c. 33. ubi primo gradui applicat illud Psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; secundo id quod sequitur: Qui sanat omnes infirmitates tuas, denique tertio id, quod subditur: Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Et l. 6. contra Julian. c. 19. eisdem gradibus accommodat illud Luca 13. *Ecce eicio demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiam die consummor.*

Posterior explicatio.

16. Charitatem intrinsecè minui non impleant.

Dico II. Non implicat quidem charitatem diminui intrinsecè, seu quoad gradum intensiõis, de facto tamen id non fit, ne quidem per peccata venialia. Prima pars est manifesta. Deus enim omnipotens pro libitu suo vel ob causas varias posset alios quos gradus charitati infusæ detrahere; uti apponere seu infundere: quæ enim in hoc est apparentia repugnantia?

De facto tamen nunquam minuitur etiã per venialia peccata.

Probatum.

Secunda pars est communissima Theologorum contra Altsiodorem l. 3. Summa Tract. 5. c. 5. & Dionysium Carthusianum l. d. 17. q. 9. existimantes charitatem minui per venialia. Probatum: quia si charitas posset minui, utique per venialia (ut apud omnes in confesso est, & de iis tantum potest esse apparentia) at per hæc ipsam non minui intrinsecè, prout controversatur, patet: quia sequeretur posse per venialia perditam charitatem: quæ tamen non nisi peccato mortali amittitur. Sequela patet: quia

si charitas sit intensa ad tres gradus, & per singula venialia destruetur v. g. unus gradus, per tertium tandem destruetur tota charitas, adeoque status gratiæ.

Nec satisfacit Altsiodorensis dicens per secundum veniale minus quam per primum diminui charitatem, atque adeo diminutionem fieri secundum partes proportionales, secundum quas charitas est divisibilis in infinitum. Nam præterquam quòd hæc evasio fundetur in sententia Philosophica difficili, & fortè falsà de compositione continui, à qua non est verisimile dependere ordinatorem divinam circa pœnam peccati venialis; adhuc ipsa non sufficit: cum fieri possit, ut veniale secundum sit gravius primo, & tertium utroque: tunc autem non est ratio, cur posteriora minus diminuerent charitatem, quam priora: Deus enim solet pœnitentiam taxare cum proportione ad gravitatem culpæ.

Non rectè etiam respondetur, tali casu ultimum veniale fieri mortale, utpote quò tollitur status gratiæ. Nam id in primis repugnat communi Doctorum & Fidelium sensui, caretque omni solido fundamento. Repugnat etiam rationi, quæ docet, non ideo peccatum esse mortaliter offensivum, quòd per illud extinguatur charitas, sed potius ob præsuppositam culpam mortalem (quæ hic non præsupponitur, cum sit culpa ejusdem rationis cum præcedentibus) veluti causam destrui demeritorie per modum pœnæ charitatem. Deinde aliàs ob periculum perdendi statum gratiæ seu omnis charitatis peccaret mortaliter, qui veniale committeret, præsertim parvâ præditus charitate. Immo cum nesciat homo mensuram charitatis, quam habet, quæve per singula venialia destruitur, plerumque erit periculum totam extinguendi. Sicque septies in die cadens justus (secus est de peccatore, qui eatenus foret melioris conditionis multiplicando venialia pro libitu) merito semper timere debet, ne hic & nunc peccando venialiter charitatem extinguat, adeoque mortaliter peccet, aut jam antè extinxerit. Quare ulterius dubius hærebit de statu gratiæ, vel potius ratione periculi, cui se exposuit, censere debet, se esse extra statum gratiæ, sicque non poterit ministrare sacramenta, aut suscipere, nisi confiteatur aut conteratur. Quæ nimirum sunt à sensu Ecclesiæ & ratione aliena.

Dicuntur tamen venialia minuire fervorem charitatis, & familiaritatem divinæ amicitie, ite minuire firmitatem charitatis, quatenus juxta alibi dicta ad ejus destructionem disponunt. Juxta quæ sunt explicanda omnia, quæ in contrarium adduci possent. Venialibus itaque deditis, acquiruntur pravi habitus, & ordinariè privatur specialioribus gratiis, quibus excitata anima solet in ferventiores divinæ dilectionis actus

17. Et Altsiodorensis occurrit.

18. Aliud effugium præcluditur.

19. Qui venialia minuitur fervorem charitatis & familiaritatem divinæ amicitie.

actus prorumpere, Ipsaque ad terrena fit inclinatio, creanturque, etsi à Deo necdum separantibus, neque divinæ amicitiae contrariis, immersa, non tam perfectâ appreciatione Deum amat, sicut illæ sanctæ animæ, quæ ab his penitus elongatæ, malunt omnia sustinere, quàm vel leviter unice dilectum offendere. Unde fit, ut etsi amicitia essentialis non minuatur, cum hæc mensuretur in ordine ad gradus gratiæ & gloriæ proportionatæ, ad quam Deus animas æqualiter acceptas habet; non obstante inæqualitate venialium culparum (quæ congruè puniuntur pœnis solum temporali- bus, non autem diminutione gratiæ & gloriæ) signa tamen & favores speciales divinæ amicitiae non ita ex parte Dei solent adhiberi, qui cum hujusmodi non ita familiariter agit. Delicata siquidem res est divina consolatio, non datur admittentibus alienam. Unde Augustinus Serm. 41. de Sanctis, post enumerata varia & quotidiana justorum peccata subdit: Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabiè replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi celestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Sicque pedetentim charitas ad corruptionem disponitur, dum anima divinis consolationibus destituta, & ad terrena magis ac magis inclinata, & minoribus culpis afflueta, pedetentim ad majores admittendas inelcatur. Unde Gregorius 3. parte Pastoral. admonit. 34. cum dixisset animam multis levibus peccatis sensim obrui, sicut navis multis guttis paulatim demergitur, explicans quomodo hoc fiat, subdit: Unde fit plerumque, ut mens afflueta malis levioribus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpæ nutrita perveniat, & tanto in majoribus contemnat pertimescere, quàm in minoribus didicit timendo peccare.

20. Charitas semel habita potest amitti.

Dico III. Charitas semel habita potest amitti, ac de facto amittitur tota, non solum peccato infidelitatis, sed quoque peccato mortali. Prima pars est de fide ex Tridentino sess. 6. can. 23. contra Jovinianum & Calvinum. Patet ex Scriptura aperte supponente justum posse à justitia excidere. Ezech. 18. Si avertit se justus à justitia sua &c. i. ad Cor. 10. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Ad Gal. 5. Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini: à gratia excidistis. Ad Hebr. 10. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Apoc. 2. Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Et alibi sæpè. Consentiant Patres passim obvi. Idem patet ex Sanctorum exemplis, Davidis, qui cum esset vir secundum cor Dei, in adulterium & homicidium lapsus est: & Petri Apostoli qui in Christi negationem lapsus fuit &c.

Præterea quotidie plurimi baptizati, adeoque justificati in peccata gravia labuntur. Fundatur id ipsorum in libertate & vertibilitate arbitrii ad bonum & malum pro statu hujus vitæ, qui est merendi & demerendi.

Dices, Charitas numquam excidit 1. Cor. 13. Et juxta Augustinum (ut citat Magister 21. 3. d. 31.) charitas, quæ deseri potest, nunquam fuit vera. Et Ambrosium in c. 6. Epist. 2. ad Cor: Ficta charitas est, quæ in adversitate deserit. Responsum quod charitas nullo tempore excidat, quatenus manet tam hic, quàm in patria; secus quàm fides: etsi excidat in aliquibus particularibus personis per peccatum mortale. Verba Augustini non sunt verè ipsius, sed Auctoris indocti, ac in rigore falsissima, desumpta ex Epistola olim ordine 111. nunc lib. de Salutar. docum. c. 7. in appendice ad Tom. 4. Ea tamen conatur in bonam partem accipere S. Bonaventura d. 31. in Expos. Textus dub. 1. Ambrosiastri verba sunt hæc: Simulata charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres; quia videlicet in necessitate probatur sinceritas charitatis, ut signum sit non fuisse synceram, si in necessitate desit.

Similiter non omnes, qui habitam semel charitatem amittunt, postea ante finem salutem vitam illam recuperant, quidquid videatur contradicere Petrus Martyr in c. 8. ad Rom. Nam etiam multi reprobi sunt ad tempus justi, qui à justitia excidunt, & in peccatis moriuntur; prout patet in plurimis, qui in infantia fuerunt justis & baptizati, & postea in hæresi alitve peccatis aperte moriuntur. Idemque fieri posse aperte supponit Scriptura Ezech. 18. Joan. 15. & alibi. Et consentiunt Patres. Ut proinde Tridentinum sess. 6. can. 17. merito dicitur asserentes gratiam justificationis contingere solis prædestinatis. Fatendum nihilominus eos, qui à justitia excidunt, si sint prædestinati fideliter in justitia mori: de quibus Joan. 10. Christus dixit: Non peribunt in æternum &c. Prædestinatio enim Dei infallibilis est, adeoque in prædestinatis supponit aut facit finalem justitiam.

Secunda pars est similiter de fide contra diversos Sectarios, & traditur in Tridentino sess. 6. c. 15. can. 27. Idipsum c. 15. probatur ex illo Apostoli 1. ad cor. 6: Neque fornicari, neque adulteri &c. regnû Dei possidebunt. Et ad Rom. 6. dicitur: Suspendia peccati mortali. Peccatum, cum confirmatum fuerit, generat mortem. Et c. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus &c. Unde Hieronymus in c. 5. ad Gal. Nec refert (inquit) uno quis peccato à beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excidant. Similia habet Basilius l. 1. de Baptis. c. 5. Oppositus demum error nullo nititur fundamento.

Quod autem peccatum mortale destruat meritum tantum charitatis.

Demerito videtur tantum charitatis.

21. Auctoritas nonnulla discitur seu exponuntur.

22. Amittitur semel non omnes recuperant.

23. Amittitur non solum infidelitate, sed quoque peccato mortali.

charitatem, non physicè sed demeritoriè, quia videlicet gravis culpa, etsi non opposita physicè charitati, meretur refectionem divinæ amicitia, ostensum est *suprà d. 1. q. 7. n. 75.*

QUESTIO III.

An eadem, aut Equalis sit Charitas Via & Patria?

DICO I. Habitus charitatis in via & patria est idem. Ita communiter Theologi. Estque juxta *Suarez & Tannetum* (ut refert *Arriaga d. 35. n. 50.*) de fide ex illo Apostoli *I. Cor. 13. Charitas nunquam excidit.* Quo etiam utantur reliqui Scholastici, dum docent charitatem habitalem in patria non evacuandam, signanter *D. Bonaventura 3. d. 31. art. 3. q. 1. in corp.* dicens id esse indubitatum. Ratio est: quia idem habitus charitatis potest esse, & juxta omnes de facto est generalis ad amorem Dei, sive hic consequatur fidem, sive consequatur visionem; adeoque non est ratio illum evacuandi aut mutandi, sive quoad speciem, sive quoad numerum. Deinde eadem gratia sanctificans manet in via & in patria, ergo etiam idem habitus charitatis, qui probabilis gratia non distinguitur, aut certe eam indivulsè comitatur. Vide

Scotum dist. 31. q. 111.

DICO II. Actus Charitatis viæ & patriæ differunt specie. Ita *Coninck, Wiggers, Arriaga & plurimi alii.* Inclinatque *Scotus d. 31. n. 4.* Et supponit *D. Thomas q. 24. art. 7. ad 3.* docens charitatem viæ, quantumvis augeatur, nunquam posse pertingere ad charitatem patriæ, utique non ratione intensiōnis, quæ potest esse par aut major, adeoque ratione perfectiōnis specificæ. Ex quo probatur Conclusio: quia rectè colligitur ea esse specie distincta, quorum unum quantumvis perficiatur, non potest pertingere ad perfectiōnem alterius. Ratio autem distinctiōnis desumitur ex diverso modo tendendi in objectum beatificum, quod hic proponitur confusè & obscure per species alienas, in patria distinctè & clarè per visionem illius secundum se: ex quo omnino videtur exurgere amor intrinsecè & essentialiter perfectior. Diversa enim propositio hujusmodi objecti diversimode afficit & movet voluntatem, aded ut juxta communem sententiam adversariorum amor beatificus ex natura sua sit necessarius, cum è contrà amor viæ sit liber. Deinde clara visio excellentiæ & perfectiōnum divinarum causat earumdem appretiationem & æstimationem longè aliam & perfectiorem, adeoque consimilem amorem, quàm cognitio earumdem per fidem causare possit: & plura ex visione nobis innotescunt, quæ, & ob quæ Beati amant Deum, quàm ex

obscura fidei cognitione. Confirmatur: quia non est credibile fructum beatificam, quæ est beatitudo essentialis, aut certè non infima beatitudinis pars, nõ esse perfectiorem amore viatorum, qui alioquin hic obtinerent beatitudinem quoad essentialiam seu substantiam actus primarii, aut saltem secundò principalis. Præterea actus beatæ intentionis distinguitur essentialiter & intrinsecè ab actu concupiscentiæ Dei in via, non obstantè identitate objecti formæ.

DICO III. Habitus Charitatis Beati non est necessariò intensior habitu viatoris, sive fiat comparatio cum eodem, sive cum alio justo viatore. Patet: quia plurimi moriuntur cum sola justitia in Baptismo accepta, qui sine fundamento dicerentur post mortem accipere novum augmentum gratiæ aut charitatis habitualis: quin potius gloria proportionatur gratiæ & meritis hujus vitæ. Idemq; est de aliis justis, qui non accipiunt post vitam aliquos gradus gratiæ; non respondentes meritis præsentis vitæ: etsi dubitetur, an gratia præhabita per peccatum amissa restituatur semper tota in proxima justificatione (idemque est de gratia respondente meritis actus remissioris) an verò differatur ad finem hujus vitæ aut initium alterius. Neque id locum habet in iis, qui sic se disposuerunt & operati sunt, ut totam gratiam & charitatem eis debitam actu receperint, prout indubie videtur accidisse in Deipara.

Idem est clarum instituendo comparationem inter diversos: quis enim dubitet Deiparam, Paulum, Franciscum, Magdalenam & similes primarios Sanctos habuisse longè majorem cumulum graduum gratiæ sanctificantis, seu charitatis, quàm parvulus moriens cum gratia baptismali, aut aliquis de communi grege justorum in cælo habeat? Sine fundamento autem colligitur, omnes hujusmodi in principio beatitudinis obtinere novum augmentum charitatis habitualis, quod superet in intensiōne omnium Sanctorum hujus vitæ, exceptà fortè B. Virgine, gratiam seu charitatem: quidquid *Lorca scilicet 3. disp. 18.* senserit, oppositum conclusionis absque dubio verè existimans, cum è contrà *Coninck disp. 22. d. 6. n. 85.* multo probabilis, immo certum esse putet, non dari hujusmodi habitualis charitatis augmentum post mortem.

Ne obstat illud Christi de Joanne Baptistâ *Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit major: qui autem minor est in regno minor est illo.* Nam juxta *Augustinum* regnum cælorum, major est illo. Nam juxta *Augustinum* & plurimos alios sensus est: qui autem minor est ætate, & (quantum erat ex opinione Judæorum) æstimatione & auctoritate, Christus ipse videlicet, is in regno cælorum, seu Ecclesiâ justorum, major est illo auctoritate, potestate, divinitate. Si autem sermo sit de regno cælesti Beatorum, sensus est (quem etiam allegat *Augustinus l. contra*

24. Idem habitus Charitatis in via & patria.

25. Actus tamē differunt specie.

26. Habituali charitas nõ est in beato necessariò intensior, quàm in viatore. Sive eodem.

27. Sicut in Deipara.

28. Quis sensus minor in regno cælorum, major est illo. Nam juxta Augustinum regnum cælorum, major est illo. Nam juxta Augustinum & plurimos alios sensus est: qui autem minor est ætate, & (quantum erat ex opinione Judæorum) æstimatione & auctoritate, Christus ipse videlicet, is in regno cælorum, seu Ecclesiâ justorum, major est illo auctoritate, potestate, divinitate. Si autem sermo sit de regno cælesti Beatorum, sensus est (quem etiam allegat Augustinus l. contra